



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De histrionibus & magis, an communionem cum cæteris fidelibus accipere
debeant. xxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

die resurrectionis domini, & Pentecostes, & in Natali domini, penitus ab omnibus communicandum est.

Ut in cœna domini Eucharistiæ perceptio non negligatur. Cap. XX.

IN cœna domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro grauib; criminibus inhibitum est, percipiēda sit, ecclesiasticus vsus demonstrat, quum etiam pœnitentes eadem die ad percipiēda corporis & sanguinis dominici sacramenta, reconcilientur.

De histrionibus & magis, si communionem cum cæteris fidelibus accipere debeant. Cap. XXI.

Cyprianus Eucratiō confratri salutem. Pro dilectione tua & reuerentia, vt ad consulendum me existimasti frater charissime, quid mihi videatur de histrione, & mago illo, qui apud vos constitutus, adhuc in artis suæ dedecore perseverat, & magister & doctor erudiendorum, imò pœdorum puerorum id quod malè didicit, cæteris quoque insinuat, an tali sacra cōmunionem cum cæteris Christianis debeat dari, aut nobiscum communicare: puto nec maiestati diuinæ, nec Euāgelicæ disciplinæ cōgruere, vt pudor & honor Ecclesie, tā turpi & infami contagione fœdetur.

Quandiu vnusquisque ante sacram communionem ab vxore se abstinere debeat. Cap. XXII.

Omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet tres, aut quinq;, aut septē dies.

Quòd inter catholicos non connumeretur, qui in istis tribus temporibus, Pascha, Pentecoste, Natali domini, non cōmunicat. Cap. XXIII.

Seculares verò, qui in Natali domini, Pascha, & in Pentecoste non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.

Ut oblatio altaris singulis dominicis diebus fiat.

Caput XXIII.

Decernimus, vt in omnibus dominicis diebus altaris oblatio, ab omnibus viris, vel mulieribus fiat, tam panis, quàm vini, vt per has immolationes à peccatorum suorum fascibus liberentur.